



Da. 186  
of Sintentia

(12-5)

PK

TH. BEZAE  
 AD REPETITAS  
 IACOBI ANDREÆ  
 & Nicolai Selnecceri  
 columnias re-  
 sponsio.

AD OMNES ECCLESIAS  
*sanctum Dei Euangelium in Augustana  
 confessione professas.*

**I. Cor. 3.13.** Cuiusque opus manifestum fieri.  
 Dies enim declarabit.



GENEVÆ,  
 APVD EUSTATHIVM VIGNON.  
 CL. CL. LXXVIII.

H E N T H A  
A L T E P F E T T A B  
I C C O S I V N G R E B  
B M A C U S Z A P P A C H  
S C H A U S P E L A C H  
H O G N O C H

19 O M U R Z E C E R S Z A T

U M E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

C O M M U N I C A T I O N E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S

E R S D U R C H E R S D U R C H E R S





O M N I B V S S A N C T V M D E I  
*Evangēlium in Augustana cōfessione am-  
plexis, Theodorus Beza Gratiam & pa-  
cem à Domino.*

**V**R E an iniuria, temeritate  
an necessitate, ego homun-  
culus gratissimorū criminū,  
corruptarū videlicet tabula-  
rum, blasphemiae atq. adeò impietatis ac-  
cusatus, augustissimū orbis terrarū cœtū  
audeā cōpellare, æquū est ut ex re ipsa iu-  
diciū fiat. Res autē sic habet. Ann⁹ agitur  
circiter septimus ex quo Nicolaus Sel-  
neccerus subscriptoribus Ienensibus qui-  
busdam Theologis, istam mihi non sūnu  
apud vñnum iudicē, sed n̄gat sūnu scripsit,  
nulla quidem à me iniuria prouocatus,  
sed occasione ex eo Actorum Apostoli-  
corū loco arrepta, in quo hæc Petri verba  
ðv, videlicet Xp̄sðv, ðei tōv ḡ̄ḡvov ð̄ḡadui,  
Latine multis antè annis sum interpretatus,  
*Quem oportet calo capi.* Accusationi

A.ij.

autem suæ illud prætexuit , quòd verbū  
C A P I eorum sententiam confirmare vi-  
deatur qui carnem Christi ex quo in cœ-  
los ascendit, affirmant à terris abesse & ad  
extremum usque diem abfuturam : quū  
ipſi contrà ſic velint ſignificari Christum  
accepiffe cœlos , id est, in cæleſtem illam  
gloriam fuſſe receptum , quam ipſi po-  
ſtea multipliciter quidem, & , quanuis re-  
pugnanter, eò tamen concurrētibus ſen-  
tentiis interpretantur ut hoc ſubſternant  
realis in terris carnis Christi præſentiæ  
fundamētum . Ego non equidē ut meam  
vnius existimationem tuerer ( quam abſit  
ut Ecclesię paci anteponam ) ſed ut ſen-  
tentiam quam veluti Dei verbo conſen-  
taneam & totius antiquitatis testimonio  
comprobatam omnes harum partiū Ec-  
clesiæ ſequūtur, ab omni probro aſſererē,  
ac præſertim Geneuenſem hanc Eccle-  
ſiam in qua mihi quoque Dominus fa-  
cri ministerij functionem delegauit ab o-  
mni herereos nota vindicarem , ita Sel-  
neccero respondi ut & veram eſſe meam  
illā Latinā versionem ex Græcæ lingua e  
ſu & antiquis ſcriptorib. oſtendiffe mihi  
videar, & ipsius ſententiæ veram expoſi-  
tiōnem ex Deiverbo & orthodoxorum

pa-



Patrum verbis liquido demonstrasse.  
Hæc autem mea responsio sitne asperis  
an moderatis verbis scripta , quamvis  
multis conuiciis ab eo essem affectus, pe-  
nes quemvis iudicium esto qui tum ac-  
cusationem tum responsum illud meum  
perlegerit. At illo contrà responso Sel-  
neccerus ita est commotus vt accusatio-  
nem vel damnationem potius veterem  
non contentus renouasse, alias etiam ca-  
lumnias , easque grauissimas adiecerit &  
conuiciorum plaustris me penè obruerit:  
quod an verè querar, minime recuso rur-  
sum quin ex ipsius libello meaque vi-  
cissim defensione Illusterrimi ac poten-  
tissimi Saxonie ducis Electoris Augusti  
Celsitudini dicatae cognoscatur . Putauimus  
enim me nullum magis idoneum iudicem  
posse aduersario meo ferre quam illum  
ipsum religiosissimum Principem ad cu-  
i us quodammodo tribunal mihi dies ab  
illo dicta videbatur. Quid plura? tertia ad  
uersus me criminationem scripsit Selnec-  
cerus, qua nescio an quidquam virulen-  
tius in quemquam dici possit , cui tertia est  
à me A pologia opposita, qua sic studui ob-  
iecta mihi criminia repellere , ut quam  
multis contrà erroribus scateret dogma

A.ij.

quod tuebatur , ostendere sim conatus:  
Extant autem & illius scripta quibus me  
prior lacepsuit,& defensiones etiam mee,  
de quib[us] causam reddere in omni legi-  
timo Ecclesiarum cotisessu sum paratus.  
Ecce vero quum istis certaininibus me  
defunctum putarem, & ipse mihi silen-  
tiū indixissem , nouus libellus prodit om-  
nium maledicentissimus , sed Germani-  
cè scriptus : credo ut quid hoc rei esset  
vel nunquam vel sero saltem intelligerē.  
Et ita sanè euenit . siquidem bienium &  
amplius præteriit antequam de hoc libro  
quicquam audirem, quod ad nos impor-  
tari libri peregrino idiomate scripti raro  
consueuerint . Eum ergo tandem nactus  
ab amico quodam meo Gallicè conuer-  
sum(quo etiam tempore quandam Iaco-  
bi Andreæ orationem accepi , in qua no-  
minatim quoq[ue].tanquam carnifex aliquis  
proscindor) dissimulari hanc cōtumeliam  
non posse credidi , quā sic priuatim ledor  
vit sit tamen mihi maxima ex parte cum  
harū partium Ecclesiis hæc exprobratio  
communis . Etsi enim illarum non est pre-  
stare si quid à me aliter quam decuit aut  
dictum est aut scriptum: quum tamen hic  
præcipue de doctrine capitibus quæra-  
tur quam ego priuatam nullam vñquam

habui aut ab Heluetica nostra cōfessione  
dissentiarieam , verbo quidem petitur Be-  
za, re ipsa vero Heluetice confessionis Ec-  
clesia heres eos & impietatis accusantur.  
Sed his quidē patronos minimē defatu-  
ros arbitror . Egō, verò interea neq. verita-  
tis neque huius ministerij mei defensio-  
nem deserere bona conscientia potui: &  
quum eo me nomine prēcipue grauari a-  
pud plerosque norim quod Augustanę  
confessionis hostem esse. me isti declami-  
tent; credidi vix vlla tatione melius inno-  
centiam liac in re meam probari pos-  
se quam si ad eos ipsos de quorum con-  
temptu accusor, vltro prouocarem , nul-  
lam eorum legitimam cognitionem re-  
cusaritus . Agam autem in primis de ac-  
culatione quam aduersum me Iacobus  
Andreas in illa sua præclara oratione Li-  
psię habita instituit. Summa accusationis  
est, *Sacramentariorum spiritum in Beza Cul-  
tiniano clasicum ad opprimendos recte sen-  
tientes doctores canere.* Ad huius crimina-  
tionis probationem fingit me rogatum  
de blasphemia Neuseri. & Sylvani , quo  
suppicio afficiendum putem blasphemū  
resipiscentem qui errore deceptus se non  
blasphemum esse, sed Deum. honorare af-

A.iiij.



firmet,his verbis respondisse: Si verè resipi-  
scunt,quod sanè velim,quid illis fuerit acco-  
modarius capit is supplicio,quo cauebitur , ne,  
ut isti factitare solent qui non ignorantia, sed  
sola improbitate & obdurata malitia in tan-  
tis rebus vltro peccant , mox ad vomitum  
redeant, vel seipsis deteriores euadant?

Agnosco mea verba . Sed audite, quælo,  
cuneti, & spectate ecquæ maior sit cui-  
quam imposita calumnia. Primum quod  
Andreas ait ex me fuisse quæsitum , pror-  
sus commentitium est, imò ne quæri qui-  
dem potuit. Nec enim illi dunitaxat erro-  
ris, aut etiam blasphemiae alicuius argue-  
bantur in quam induci quispiam possit  
ex falsa scripturæ interpretatione , sed q  
apertè Christum negarent , Apostolica  
scripta ludibrio haberent. quid amplius?  
quod Mahumetis de Deo sententiam a-  
perte amplecterentur, & de Turcismo in  
Germaniam inducendo consilia cepi-  
sent: quorum scelerum non vltronea &  
ingenua confessione , sed scriptis & te-  
stibus conuicti tenebantur. De his igitur  
ab amico priuatim rogatus quid mihi vi-  
deretur , non hæc tantum respondi quæ  
expressit Andreas, sed hæc quoque ab ip-  
so dissimulata : qua in re viderit an non  
falsi



falsi crimine teneatur. Hęc, inquā, in primis respondi, quę meus accusator in media summorum virorum corona, sua quādam fide reticuit: *Non agitur de eo argūmēto de quo inter Christianos pastores ambigi potuerit* (Pastores enim erāt isti, nec simpliciter Christiani) *nec de simplici errore, sed de ea blasphemia quāritur qua nullā magis horrendam ne Satan quidem ipse possit euomere.* Sinè vero, demus istos verè resipiscere (quod ego quidem non magis credo, nisi alia signa apparuerint, quām bōnes volare) quid tum? *Ista blasphemia in filium Dei, ista in totum Christianismum coniuratio cum Mahumete, ista tot mendaciis, tot periuriis cumulata improbitas, capitī supplicium non meretur?* & quid non putas nobis exprobraturos aduersarios, si eiusmodi reis parcatur?

Hęc, inquā, ego nō de iis qui per errorem in aliquo peccassent, & qui factum deparentur, sed de falsis pastorib. qui à Christo ad Mahumetem aperte defecerant, qui voce & scriptis Christo maledixerāt, qui aduersus Christianitatem omnem coniurarant, qui suam impietatem scriptis quoque prodiderant, qui nonnullos seduxerant, qui déniq. in ipsis vinculis vix tandem conuicti Christo maledi-

xerant, scripsisse me & suassisse fateor.  
Quod si crudelitatis esse putas, magistratum hortari ut gladium aduersus talis apostasiæ & generalis blasphemiarum legitime conuictos stringat, an non tu potius aduersus Deum longè seuerioris legis auctorem sentis? quod si forte legem illam abolitam esse responderis, præterquam quod errorem errore cùmulaueris (sunt enim ita Iudaicæ politiæ leges abolite, ut quæ perpetua & vniuersali æ quita tis regula nituntur, valere perpetuo & vbiique opòrteat) an tu is es cui Christianorum Imperatorum leges de istis criminibus latae ut sequas & crudeles abroganti fides habeatur? Obscurus, qui læse Illusterrimi Principis dignitatis, parricidij aut alterius eiusmodi capitalissimi criminis reum peractum, si modò resipiscere sedicat, pœnæ eximendum censet, num dignus est qui audiatur? Magistratus autem à quibus Anabaptistici nonnulli furores vltore etiam gladio puniuntur, num tu Andrea audebis crudelitatis accusare? & ista scilicet quorū Neuserus & Syluanus conuicti fuerant, illis inferiora censenda sunt, siue Dei ipsius Maiestatem, siue reip. damnū spectes. Age verò spectemus



mus rei ipsius exitum , vt de meo consilio non ex aduersarij mei criminatione sed ex ipsa veritate statuatur. Neuserus dum iudicium ipsius differtur ; resipiscientiam mortis metu, simulans, aufugit ex vinculis; alicuius fortassis opera qui de isto facto non aliter quam meus hic criminator sentiret. Inde ad Turcā deficit sicut antea constituerat, circumcisus Mahumetisnum profitetur, aduersus sanctum Iohannis Euangelium librum etiā scribere incipit, quod ex literis ipsiusmet manu Constantinopoli scriptis cognoui: ac tandem deniq̄tie; sicuti fama est, vt Ilcariotā illum ait, si mauis, Julianū omni ex parte imitaretur , mortem sibi conciscit. Syluanus contrā ad iustum suppliūm productus , aut si verē resipuit feliciter est mortuus , aut certē neque suam neque aliorum conditionem deteriorem effecit. Quod si cum Neusero similiter actum esset , cui dubium est quin & ipsi & aliis melius fuisset consultum? Hæc igitur mei non sanguinarij vel crudelis , sed recti & sani consilij ratio tum fuit. Quod si quis fortē roget cur sit à Iacobo Andrea illo præsertim loco ac tempore reprehensum, id quoque detegam necesse



est. Moribundus Brentius Vbiquitatis pa-  
rens testamentū cōdedit quo inter cæ-  
tera Germanos Principes aduersum nos  
quos Sacramentarios vocat, tanquam il-  
lorum ceruicibus imminentes ac veluti  
humani generis hostes incendit. Huic  
verò sanguinario spiritui quoniam se se  
fratres nostri Tigurini communem no-  
stræ confessionis defensionem suscipien-  
tes, pio moderatōque scripto opposue-  
runt, male res hæc habuit Iacobum An-  
dreiam illius testamenti executorē. Hinc  
illa aduersum nos instituta criminatio  
qua illud ipsum crimen quod inficiari  
non possunt quin scriptis & editis illius  
testamenti tabulis fedarguantur, in me  
regereret: ea ipsa nimirum conscientia  
fretus, qua superioribus annis quam  
Monbelgardensem Ecclesiam dissipatu-  
rus in eum Comitatum venisset, ausus est  
mensē benedicens, clarissimis multis vi-  
ris adstantibus, pro voce Germanica Bo-  
sen in extrema Dominica oratione Bezæ  
nomen substituere. Quod utinam intrā  
verba constitisset hæc calumnia, & Iaco-  
bus Andreas Vbiquitatis nō iam Aposto-  
lius, sed planè Papa, classicum duntaxat  
eeinisset. Quod si quid etiam hīc à me  
pec-



peccatum esset, quorsum id ad Caluinū cui nunc iste iampridem mortuo maledicit, quem viuum præceptorem suum, gratius scilicet tū Caluini tū Philippi discipulus, appellabat. Sed de his fortasse plus satis, ut omnes norint quo iure nobis ille homicidij spiritum tribuat, & quo pudore in tanto hominum cœtu sit ausus Pauli errorem per ignorantiam in Christum peccantis cum illorum terrorum hominum affectata impietate comparare, beatūmque illum dicere qui Beza gladium effugerit, immemor nimis illū ipsum Paulum scripsisse. Siquis non amat Christum Iesum, sit anathema, Maranatha.

Accedo ad aliam mihi quoque peculiare criminacionem, cuius auctor est alter in me declamitator Iacobo Andreæ succinens Selneccerus. Scripsi aduersus Monachum pertinacissimum transubstantiationis ac Missæ defensorem, & omnium qui hodie viuunt maledicentissimum sophistam Claudium de Xaintes Ebroicensiem hodie pseudoepiscopum, apologias duas: in quarum posteriore, ubi disputationem de Cœna Domini planè absolui, variis ipsius calumniis ac in-

primis rancidæ illi de meis versiculis cri-  
minationi ante triginta annos à me non-  
dum Euangelium professo editis, seorsum  
his verbis inter cetera respondi: Poeticos  
meos lusus quum ut res serio dictas & scri-  
ptas interpretaris, quis te iudex aequus au-  
diat? Quanam illa est Candida meis versi-  
culis celebrata? uxor mea scilicet, quam illuc  
superis prægnantem commendo, quum uxor  
mea nunquam etiam coceperit. Si tam nostra  
illa reprehendenda sunt, cur ea excudi ac le-  
gi, cur manibus teri iubetis, cur publico scri-  
pto à me abdicatos fætus aboleri non sinitis?  
nempe ut perpetua sit Bezæ infamia. Hocci-  
ne verò vos Theologia docet, ut vni cuiquam  
dedecus concilietis, innumeris hominibus  
male consultum velle? Item, Scriptum est,  
inquis, pontifex scortum & vile prostibulum  
non ducet. Imo non sic scriptum est. Sed quid  
hoc ad me qui nihil minus quam pontifex  
sum, & pontificem nullum esse posse ex Dei  
verbo didici, quoniam unicum aternumque  
pontificem habemus, neque uxorem duxi,  
cuius pudere possit Ecclesiam, cuius denique  
bonestiora sunt quæ honestè nominari non  
possunt, quam rostrum istud caninum siue  
monasticum, quo tuum istud furfuraceum  
numen exceptum voras? Quid ad hæc no-  
ster



ster Selneccerus? *Quid multis (inquit) verbis opus est ut intelligatur quid de sancta Christi Cœna sentiat Beza? expendantur ipsius verba de sua Candida, quam suis illis turpibus, lubricis & impuris versibus celebravit, dum adhuc in infidelitate hæreret quibus quidem verbis aduersus Papistam quendam scripsit sua Candida posteriora & alia nescio quæ esse pulchriora & honestiora eorum ore qui verbum Dei sequuti dicunt Christi corpus ore à se recipi in Cœna. Væ tibi, impure, fæde, & infamis Diabole, Domini nuste lastiget. Hæc ille, de quibus æquos & moderatos omnes homines obtestor ut me æquis animis, sicuti par est, audiāt. Primum quod iste rancidam illam calumniam de poeticis illis lusibus millies à me refutatam reponit, bona conscientia id facere non potest. Aut enim à se nunquam lecta damnat, aut quid ad illam accusationem centies responderim ignorare non potest: accusationem vero ex communium aduersariorum scriptis, præterita iustissima & verissima defensione mea, repetere, an sit eius hominis factum qui se zelo tuendæ veritatis accensum profitetur, penes æquum lectorem iudicium esto. Quos autem ego temere, vi-*



uens adhuc penè sub magistri ferula, nec  
dum veram religionem amplexus, ama-  
torios lufus de Vtopica, ita me benè Deus  
amet, Candida, scripsi, transferre ad vxo-  
rem meam castam pudicámque fœmin-  
nam, quicum triginta iam plus minus an-  
nos, Dei beneficio, in Ecclesia castè & ho-  
nestè vixi, qua tandem fronte ausus es  
Selneccere? Quod si ut tu Caluinianum  
spiritum nescio quem in ore habere con-  
sueuisti, ita mihi in animo esset vicissim  
conuiciari, quo tandem cognomento spi-  
ritum hunc tuum appellarem? Sed hoc à  
me absit. Nolo enim ne in hoc quidem  
te imitari, quem non puduit totidem ver-  
bis, maxima certè cum Lutheri memo-  
riæ infamia, Lutheranismum vocare do-  
ctrinam quam de Cœna Domini traditis.  
Sed ut proprius ad rem accedam, quod e-  
go, non in ipsa disputatione de Cœna i-  
psa Domini, sed de falsissima impudicitię  
nota mihi vxorique meæ inusta differens  
scripsi, qua rursum cōscientia, totum hoc  
dissimulans, perinde commemorasti ac si  
de Cœnæ dogmate ibi ageretur? & quod  
à me non in vestrū quenquam dictum  
fuit sed in monachum transsubstanciatio-  
nis de qua prius disputaram, defensorem  
male-

maledicentissimum, quod non de Cœna Domini sed de Papistica impurissimæ Missæ celebratione, non de sacris symbolis, quæ & ipsa nobiscum agnoscitis, sed de abominando illo panaceo Deo à me scriptum fuisse, superiora, quæ tu idcirco veteratoriè reticuisti, demonstrant, ad Augustanam confessionem qua fronte, quo pudore, qua denique fide traduxisti? Sed ista tamen fœda sunt, inquies. Esto. Sunt enim, neque à me nisi tu cogeres repeterentur. Sed tamen monasticam illam maledicentiam, & detestabile Missæ idoljimi fœdus aliis quibuscunque rebus arbitror: & miror tibi quum hæc scriberes, vltimum saltem Lutheri aduersus Papatum scriptum in mentem non venisse, in quo quam multa fœdiora etiam inuenies, quibus tamen dignum esse Papam omnes cōfitentur? Quod si quam ego reprehensionem in eo mereor quòd iustissimo dolore percitus ista in Monachum impurum cānem scripsi, quanto tu grauius peccas qui vt mihi manifestissima cum calumnia inuidiam creares, ista repetere, Illustrissimum Principem & nobilissimum gynæcæum compellans, minime erubuisti: At ego, inquies, sum venia-

B.j;



prius precatus. Imo verò cur Albinum illum imitatus culpam deprecari quam culpa carere maluisti? Sed bene rem cecidisse spero. Nec enim alteram aut Galli Constantiam, aut Arcadij Eudoxiam, sed Placillam & Pulcheriam alteram natum esse te confido.

Obiicitur mihi & illud quod non nisi certis conditionibus subscribere me posse Augustanae confessioni dixi. Hoc dixi, fateor, & adhuc dico. Quod si ita loqui idem est atque hereticum, veritatis hostem, Diabolum denique esse alterum, quid Illustri Argentinensi reip. & aliis etiam arbitror, fiet, quae non nisi prescriptis conditionibus in illam confessionem consensere. De ipsa verò confessione Augustana quid sentiam anno 1557. coram D. Philippo & clarissimis Germaniae Theologis, adstante ipso Iacobo Andrea & nostrae declarationi vna cum aliis subscribente, tum scripto tum voce declaraui, illis usque adeo fauentibus, quanuis in capite de Cœna Domini non planè nos in quibusdam illis assentiri ingenuè fatremur, ut Gallicas etiam Ecclesias quarum nomine tum illuc vna cum D. Farrello sanctæ memoriae, & Ioanne Budæo, & Ga-

& Gaspare Carmelo missus eram, dignas existimarent quarum calamitates Illustriſſ. Principibus commendarent, ut eorum videlicet interceſſione Rex Henricus mitigaretur. Eandem legationē quin quies obij in Germania, nec vnuquam repulſam tuli: imo etiam Francfurti iis co-mitiis quibus Ferdinandus electus est Imperator, Generoſo Domino D. Georgio comite Erbacensi petitionem noſtrām Iluſtriſſimorum Germaniæ Principum Electorum Auguſtanæ confeſſionis legatis explicante, benigniſſimum quoque reſponſum tuli de procuranda communi Synodi conuocatione, in qua infelix iſta controuersia pacificè ex Dei verbo componeſeretur. Nempe viuebat adhuc Philippus quem iſti viuum penè dixerim adorabant, nunc vero mortuum conantur ex hominum memoria delere. Guepingæ mecum Andreas familiariſſimè de hac ipſa controuersia loquutus, fratrem me poſtea non ſemel appellauit, qui tamen quæ eſſet Caluini & noſtrūm omnium ſententia tum ex viua ipſius voce, tum ex edito conſenſu cognouerat. Stutcardij D. Brentius mensa quoque ſua D. Farellum & me dignatus eſt. Argentinæ

B.ij.



semel à fratum collegio pro ipsorum be-  
nignitate sum humanissimè exceptus.  
Quinam igitur tam subitò Sacramento-  
rij, blasphemi, hæretici, impij, veritatis  
hostes, denique Turcis detersores euasi-  
mus? Nos enim eo tempore nihil dissimu-  
lasse neque postea vel tantillum in nostra  
sententia mutasse, non tantum Deus ipse  
testis est, sed etiam tum illorum tum po-  
steriorum temporum scripta demonstra-  
re liquido possunt. Nempe viuebat ad-  
huc Philippus, quem isti viuum penè di-  
xerim adorabant, nunc vero mortuum  
conantir ex hominum memoria delere:  
necdum prodierat illud Ubiquitatis siue  
Omnipræsentia monstrum, cuius caput  
vtcunque emergens ictu tam graui Phi-  
llippus, editis illis breuibus in epistolam  
ad Colossenses commentariis contude-  
rat, vt illo superstite non sustinuerit in  
medium prodire. At illo mortuo statim  
vibratum est illud εἴδος μῆλον, quod nisi  
quis admittat est scilicet Augustanæ con-  
fessionis hostis iuratus. Atqui ne vocu-  
lam quidem ea de re, neque de Ascensio-  
nis in disparitionem & inuisibilitatem  
conuersione, neque de Maiestatica car-  
nis Christi non modò in pane sed etiam  
in om-



in omnibus rebus praesentia, neque de captis à Christo cœlis, neque de carnis & Verbi exæquatione, neq. de cœlo quod ybique sit, neque de carnis Christi sessione ad dexteram patris ab ipso conceptio-  
nis momento, in Augustana confessione vel Apologia, imo ne in Catechismo qui dem Lutheri competit. Aut igitur pro Augustana confessione substituite aper-  
tè Lutheri & Brentij nomen, aut fatea-  
mini vos non hoc petere ut illi confessio-  
ni, sed vt Lutheri vel potius Brentij scri-  
ptis simpliciter subscribamus, aut potius,  
si vultis dicere quod res est, agnoscite  
vos & confessionis & Lutheri nominib.  
(quod suo tempore Dominus patefaciet)  
intemperantissimè abuti. Symbola illa ve-  
tera agnouit fateor, Ecclesia, & subscrip-  
tionibus Episcoporum approbavit, sed  
œcumenicis synodis, præcunte causæ co-  
gnitione, non paucolorum, & quidem  
au<sup>g</sup>ust<sup>er</sup> hōminum, sed generali totius  
cœtus expresso cōsensu approbata. Atqui  
de Augustana confessione, cuius auctori-  
tati vt non omnia quæ vultis tribuam,  
propterea tamen nihil detraho, nihil ta-  
le dici potest: quæ si omnia fidei nostræ  
capita complectitur, cur tot illi articulos

B. iii.

tot demum post annis adiecistis, in quibus si quis statim yobis non assentiatur eum protinus in Diabolum transformatis? Imo si tam est perspicue ac dilucide scripta, ut qui simpliciter & absque omni exceptione illi non subscripterit, propterea pro veritatis hoste sit habendus, quorsum Smalcaldici adiecti articuli, quorsum alia Neuburgi, alia etiam Stukardiæ à Brentio Illustrissimi & humanissimi Principis ac Duciis Vittembergensis nomine perscripta est quæ Tridentino conciliabulo offerretur? & qua tandem fronte audetis postulare ut nullis conditionibus subscribamus ei scripto, de cuius interpretatione vñque adeò inter vos non cōstat, ut te Andrea, iubeat tuus Heshusius resipiscere, Vvigandus olim Heshusio succenturiatus illum ex Prusia episcopatu nuper pro blasphemio deicerit: te Illyricus ille tuæ Vbiquitatis accerrimus assertor, tu vicissim Illyricum ferre non potueris: vix denique ullum superist illius confessionis caput de cuius explicatione inter vos conueniat, neque hodie ulli sint in orbe terrarum, qui mutuis concertationibus Christianam religionem æquè exponant omnium mortaliū

lium Indibriis. Hæc sunt monstra *ανύστα-  
τα*, Andrea, quæ iampridem fateor me  
scripsisse mirari me quinam possit Ger-  
mania tamdiu perferre, cui quotidie &  
singulis momentis Deum precor Opt.  
Max. vt oculos aperiat. Certe prius hoc à  
vobis iure saltem peto vt priusquam hæ-  
reticus idcirco censear quod Augustanae  
confessioni simpliciter non subscribam,  
inter vos de ipsius interpretatione con-  
ueniat. Ad D. autem Lutherum quod at-  
tinget, quis eius autoritatem magis quam  
vos imminuit? Habeatur sane qualis fuit,  
excellens videlicet organum Dei in eius  
veritate nostris temporibus aduersus Pa-  
pisticam tyrannidem propugnanda. At  
eius sane scripta in singulis probate ne si  
velitis quidem satis prudenter possitis,  
quod cum nulla tanti viri contumelia sic  
dictum. Contigit enim ei quod illi cæco,  
cui Dominus non uno momento, sed sen-  
sim oculos aperuit. Id vero ne vos qui-  
dem negaturos opinor, quoniam summe  
fuerit impudentia, neque hoc quisquam  
melius quam ipsemet aliquot locis agno-  
uit. Delectu igitur magno hic opus est,  
cuius norma quum sit unicum *αὐτόπιστον*  
Dei verbum, & huius rursum falsæ inter-

B.iiij.



pretationes à veris ex fidei analogia di-  
scernantur, cur obsecro, pati non poten-  
tis à Lutherò ad Dei verbum, ab illius in  
aliquibus interpretatione ad fidei analogia  
giam prouocari? Quid multa? vestram it  
lam calamistratam Vbiuitatem, cui tā  
multa quotidie planē  $\alpha\lambda\lambda\circ\eta\circ\tau\alpha$  affingitis,  
quibus tandem ex Lutheri scriptis de-  
sumpsisti? Deniq. si itā habet, agedum  
ipsimet Lutherò in hac ipsa controuersia  
credamus. Faretur igitur ingenuè sese in  
hoc argumento sæpe, sæpe, inquam, na-  
turæ tribuisse, quod est personæ & con-  
trā. Hoc inquam, ille ingenuè professus  
est, vnde omnes istos à vobis errores fuis-  
se desumptos nemo dubitabit qui vel le-  
uissimè legerit veterum Orthodoxorum  
aduersus Nestorium & Eutychien certa-  
mina. At contrā, si vobis creditur, nis-  
quam verius loquutus fuerit Lutherus  
quām vbi sc̄ non semel, sed sæpius errasse  
professus est. Exemplū huius rei admirabi-  
le proferam quo admoneantur homi-  
nes, vt quō magis excellunt eō circunspe-  
ctius loquātur & scribat. Eo ipso loco vbi  
sau illū maximi momenti errorē agnoscit  
concionē videlicet de Natali in magnis  
post

Postillis, ibi, inquam, imprudens in eo ipso grauissimè peccat. Vocat enim eos imperitos qui ex Christo hominem omnipotentem & omniscientem faciunt, quo quidem dicto vestrum dogma ex professo damauit. Et tameñ nisi Christus est homo omnipotens, omniscius, omnipresens certè non est homo Deus. Itaque imperiti non sunt quos Lutherus arguit, sed eorum est hic error qui quoniam concretum ab abstracto, siue *νατ' ἀλλο* ab eo quod *καθ' αὐτὸν* dicitur, distinguere nesciūt, naturam cum persona cōfundunt. Est enim certè Christus omnipotēs quia Deus, at non est humanitas omnipotens, quod ipsi quoque scholastici recte docēt, quia humanitas non est Deitas. Illud autem negare Nestorianum est, istud affirmare Eutychianum, utrūq. dicere Brechtianum. Ergo si Lutherò creditis, cur illi errorem confitenti & exemplo suo confirmanti non creditis? Imò quod Lutherus vbiique & quidem non immerito contendit ex institutionis verbis petendam esse veram de carnis Christi præsentia diiudicationem, annon funditus euertitis, quium ad hypostaticam vniōnem recurrit



tis. Nam si hæc facit ut sit vbiique caro Christi, sicuti est vbiique eius diuinitas, quorsum nobis opus illa ad cælum vestrū Vtopicum' ascensione? quorū sessione ad dextram patris, nisi fortasse idem valet hoc vtrumque, atque superiora illa, Conceptus ex Spiritu sancto, natus ex Maria virgine? quorū denique ad probādam realem carnis Christi in Cœna omnipresentiam, de huius enuntiationis, Hoc est corpus meum, interpretatione quæritur, si iam antea propter illam hypostaticam vniōnem reipsa præsens erat, in, sub, vel cum pane; vt & in cæteris quibuscunque rebus? Sed huic malo scilicet remediū optimum comperisti pauculi vos quidam Theologi, in quorum dictata quicunque præscriptis verbis non iurari, Christianus & orthodoxus haberi nō possit. Hoc ego quum dico absit ut Illustrissimi Electoris consilium reprehendam, quod ego summa potius laude dignum esse absque adulatioē vlla profiteor. Quid enim Christianos principes ac præsertim Illustrissimum illum Saxonie Ducem Electorem, è cuius potissimum ditione nostra memoria rufus Euangeliū orbi terrarum illuxit, quid illos inquam, potius curare oportuit

tuit, quām vt tandem aliquando decisio  
ex Dei verbo tot controvērsiis, quas Sa  
tan inter eos excitauit quos potius maxi  
mē concordes esse decuit, pax aliqua fir  
ma constitueretur? Consilium igitur illud  
vt dixi, minimē reprehēsum volo, sed vos  
consiliarios summa vituperatione dignos  
esse clamito, qui infeliciū illorum homi  
num Diotrep̄his, Eusebij Nicomediensis,  
Dioscori, Vrsatij, Valentis, memoriā pla  
nē renouastis. Nam te Selneccere, te Iaco  
be Andrea, etiamsi vobis hoc iudicium  
deferebatur, quid potius facere oportuit,  
quām vt vos iudices in causa vestra sede  
re posse negaretis? Sed quid si comperia  
mini non illud modō nō defugisse, sed e  
tiam & cupidissimē appetiuisse, & corru  
ptissimē exercuisse? Tu vero, Muscule qui  
iam pridem audacissimē fœdissimos illos  
Eutychetis errores conuictus es defende  
re, tu inquam, Islebij adstipulator, nō eru  
buisti quæso, quum aliquam rerum ista  
rum cognitionem tibi arrogares? Duoru  
aliorum quos vobiscum adiucatos fuissē  
intelligo, eruditio satis est Ecclesiis per  
specta, quibuscum etiam his de rebus li  
benter, si licebit, contulero. Sed etiamsi  
esletis legitimi controvērsiarum istarum



cognitores , quæ hæc vestra agendi ratio est , & quam in omnibus iudiciis inusitata? Nam ut prohibere quidem nemo vos potuerit quin qua de resentiam aut consilium rogati estis , diceretis , illud tamen est intolerabile , non modo tot Ecclesiis , tot populis , tot gentibus si non directè , at certè obliquè , fidei normam præscribere , verum etiam qua ratione ab imperitis obtineri , à repugnatibus extorqueri subscriptiones possint interroganti de Synodo Illustrissimo Principi suggestere , & quod in Ecclesia Christiana palam liberis Syndicorum suffragiis semper est factum donec Papistica tyrannis obtineret , id per cuniculos facilioris concordia prætextu moliri . Quid amplius : etiam tot amplissimum regnum , tot liberarum ciuitatum Ecclesiis , non auditas , in modo ne citatas quidem , sed prorsus necopinantes , heresos , blasphemias , impietas , denique , damnare & ad eam probandam Illustrissimos Principes nihil minus cogitantes vanissimis suasionibus pellicere ? Sed bene rursus res cecidit , sensuris tandem , ut spero , vobis q̄ non in Constantios aut Valentes , sed in Constantinos & Martianos potius alteros incideritis .

Su-



Supersunt alia, quæ etsi multò sunt grauiora, minus metamen commouent, quoniam Dei beneficio, facile sic redargui possunt, ut ne speciem quidem veri apud æquos iudices habitura videantur. Sunt autem illa non aduersum me priuatim, sed aduersus eos omnes instituta quos isti esse omnium sceleratissimos hominibus nostræ doctrinæ ignaris ac præsertim mulieribus persuaserunt: itaque sic à me quasi communia annotabuntur.

Hæc igitur iste mihi, vel potius omnib. tribuit quos Sacramentarios & Calvinistas cognominat, ausus ipse primus Lutheranismum vocare doctrinam quæ ipse sectatur.

I Blasphemum ac Thyesten, Capernatam ac Satanae ministerum eum esse qui Christum dicat presentem esse in terris corpore & sanguine suo ubi & quando Cœna celebratur.

Præsentiam veri illius corporis & veri sanguinis, totiusque adeo humanæ naturæ Christi in Cœna absit ut vñquam simus inficiati, sed ita explicatam ex Dei verbo ut neque veritati carnis assumptæ, neque ascensioni, neque commorationi Christi in cælis, neque futuro eius ad-



uentui repugnet. Præsentem igitur Christum totum esse fatemur quatenus hypostaticè in verbo omnipræsente inseparabiliter subsistit caro, quæ præsentia est vniuersalis, & concreto conuenit non abstracto. Nec enim quicquid toti Christo, quatenus viuum est υφισάμενον cōuenit, existimandum est etiam Toti Christi , id est utriusque Christi naturæ distinctè consideratæ, conuenire . quod in communi quoque sermone usurpari consuevit. Bezam enim hæc scribere verè dixeris quatenus ut totum quiddam consideratur: at singulis Bezæ partibus id tribui citra demen-tiam non potest, quum neque animus ipse propriè scribere dicatur , neq. scriptio sit capit is aut alterius partis corporis quā manus actio. Hoc discrimen antagonistæ nostri non animaduertentes vel personæ quod est naturæ, vel naturę quod est personæ tribuat oportet. Alterum præsentia genus est quo sit ut hæc caro sit vni menti & fidei præsens, nō tamen corpori , nec propterea tamen vanè & imaginarie, quum longè sit verius ac certius quod in Verbo Dei & sacramentis intuetur fidei oculus siue propinquum siue longinquū quod ad rei sitū attinet, quam quicquid

cor



corporis sensibus externis percipitur. Estque hæc præsentia tum Verbo simplici tū sacramentis communis. His igitur duobus modis in Cœna præsentia carnis Christi admittimus , quam si ad situm referas (vbiq[ue] autem est verum corpus quantumglorificatum, quod ad situm attinet in loco sit oportet ) didicimus cum Augustino dicere , sublatis spatiis tolli corpora. *Item*, donec finiatur seculum sursum fore Dominum secundum veri corporis modum. *Item*, Omne corpus ipsiusque adeò glorificati Christi , necessariò locum occupare , quem sic impletat ut in nulla eius parte sit totum. *Item*, Christum vbiique esse tanquam Deum , & in loco esse propter veri corporis modum, cui immortalitatem dedit, naturam non abstulit. *Item*, Credendum esse Christi corpus ita esse in cœlo vt erat in terra quum ascenderet in cœlum. *Item* Cauendum esse ne sic adstruamus diuinitatem hominis vt veritatem corporis auferamus. *Item* quia secundum carnem ascendit in cœlum, non esse hic, & ibi non autem hic sedere ad dextram maiestatis. *Cum Cyrillo* Nullum ambigere Christum præsentia carnis abesse. *Item*, corpore absentem se-



dere & interpellare apud patrem qui Spiritu habitat in sanctis. *Item*, quum Spiritu immitteret Apostolis, non potuisse cum eis carne conuersari, ut qui ad patrem ascendisset. *Cum Vigilio*, quando fuit in terra, non fuisse in cælo: & nunc quia in cælo est, non esse utique in terra, quum è cælo venturus speretur. *Item*, Christum sicut non capitur loco per naturam divinitatis, ita contineri & circumscribi loco secundum naturam carnis, quæ sit fides Catholica quam Apostoli tradiderunt, Martyres robauerunt, & fideles nunc usque custodiunt. *Cum Ambrofio*, eandem esse veritatem corporis in Christo quæ in nobis. *Cum Fulgentio*, Christum esse hominem localem & secundum humanam substantiam abfuisse cælo quum esset in terra, & deseruisse terram quum ascenderet in cœlum. *Item*, ascendisse in cœlum quia verus & localis homo, sicut adest fidelib. quia immensus & verus est Deus. *Item*, Apostoli verbis demonstrari Christi corpus localiter cælis contineri. *Item*, Christum secundum totum hominem quem accepit, terram localiter deseruisse, in cœlum ascendisse, & in dextris Dei sedere.

*2 Beza negat manducari Christi car-*  
*nem*



nem & bibi eius sanguinem in Cœna , imò  
cum esum vocat Capernaiticum , & Cycloicas  
ac Thyestea s epulas .

Qua ratione & in quem fiacem præsens  
est corpus , ea quoque verè præbetur à  
Christo promittente , & verè itidē à cre-  
dentibus percipitur : præsens autem est  
ob eas quas diximus causas , non corpori  
sed menti , ac proinde non ut sui substan-  
tia nostræ commisceatur , sed ut ex eo  
mens nostratum sibi tum corpori vitam  
illam spiritualem & eternam hauriat . Ita-  
que non corpore sed mente , nec mente  
quauis , sed mente quaे vera fide sit prædi-  
ta percipitur . Quoniam autem nobis  
in Cœna præbetur adiunctis ex Christi  
mandato signis quaे corporis ore man-  
ducantur & bibuntur : idcirco dici-  
tur corpus mente quoque manducari ,  
& sanguis bibi , verbis videlicet quibus  
sacramentalis & externa corporis a-  
ctio declaratur , ad interiorem mentis &  
fidei significandam actionem translatis ,  
ne de sacramentorum veritate dubite-  
mus . Hinc efficitur omnem illam oralem  
manductionem & potum ; & realem il-  
lam in , sub , vel cum pane corporis etiam  
respectu præsentiam , meritò à nobis ut a-

C



nalogiæ fidei ex diametro repugnantem,  
& his mysteriis minimè accommodatam  
penitus repudiari, nec tamen à nobis verā  
veri corporis & veri sanguinis *κοινωνίαν*  
vllo modo negari: non esse denique inter  
nos quod ad Cœnam Domini attinet, ne  
que de symbolis, neque de re sacramen-  
torum, neque de eorundem veritate &  
efficacia, neque denique de ipsa corporis  
& sanguinis communicatione, sed de sa-  
cramentalis duntaxat præsentia, & corpo-  
ris ac sanguinis perceptionis modo con-  
trouersiam, quem vtrunque modum vos  
corporalem quoque & corporis esse vul-  
tis, nos autem spiritualem ac spiritus & fi-  
dei duntaxat respectu statuimus. Videāt  
igitur qui contentiones istas souent, quo  
iure in nos quasi Christianæ fidei funda-  
menta, & Iesu Christi domini nostri testa-  
mentum euertentes, quasi denique Tur-  
cas & Mahumetanos alteros tanto impe-  
tu ferantur: nec vicissim sibi Capernaiti-  
cum & Cyclopicum esum obiici miren-  
tur. Et hæc quidem de Cœna Domini.  
Nā quod attinet ad Vbiquitatis dogma,  
nos illud vt planè impium sine exceptio-  
ne detestamur.

3 Beza dicit institutionis Cœna verba à  
Christo



*Christo prolata non aliter esse interpretanda,  
nec aliter esse vera, quām ferat sacramento-  
torum natura, id est, significatiuē.*

Dicit sanè & quærit an satis sani sit ho-  
minis negare quæ de sacramentis dicun-  
tur esse secundum naturam ipsam sacra-  
mentorum intelligenda. Sed calumniosè  
prætermittis Selneccere, quod reticendū  
non fuit, Beza videlicet docere sacra-  
mentalī significatione sic res Symbolis  
externis significatas significari, ut etiam  
verè ac re ipsa menti ac fidei exhibeantur  
& spiritualiter applicentur.

4 *Docet Beza quod Christus non modò  
noluerit, sed etiam non potuerit promittere &  
dicere se velle nobis in Cœna corpus suum  
manducandū & sanguinem suum bibendum  
præbere.*

Imò nunquam negauit Beza corpus &  
sanguinem Christi in Cœna verè percipi,  
sed ore siue actione corporis externa  
percipi negauit & negat. Rursus ergo  
calumniaris. Hoc autem agnoscit Beza se  
docuisse & docere, Christum nec vo-  
luisse nec potuisse velle sese ore corporis  
comedendum in Cœna præbere: at non  
simpliciter sed ex variis hypothesibus sic  
docet, quas tu rursus versutia aut igno-

C.ij.



rantia præteriisti. Sunt autem istæ huius impossibilitatis hypotheses: Vna, quod verum corpus veri & organici corporis partibus ac spatiis finitum ac circuicriptum assumere voluit, cui naturam hanc gloria non ademit, ut ipsem testatus est. Altera quod à seipso dissidere non possit. Tertia quod mentiri nō possit. Quarta quod flagitium præcipere nō possit: flagitium autem sit, Augustino teste & hac ipsa de re differente, hominis carne vesci, & sanguine potari, vnde colligit figuratè hanc esse mādicationē intelligendam. Itaque quum & in diuina & in humana philosophia certissimē sint istæ hypotheses, sitq. realis illa vnius & eiusdem Christi corporis in terris innumeris locis & in cælis simul eodemque instanti præsentia, & oralis illa perceptio illis hypothesibus ex diametro repugnās, falsam & commentitiam illam esse rectè doceo: neque tamen propterea omnipotentem esse Filiū Dei nego, quoniam dissidere à seipso siue contradictionia velle, ac proinde mentiri velle, non est potentie sed infirmitatis.

5 Docet Beza corpus & sanguinē Christi longius abesse à nobis quam cætū à terra.

Docet Beza ex Christi verbis, ipsum quoad

quoad naturā humanam verè abiisse su-  
prā omnes cœlos , id est relicta terra vbi  
tum erat non in cœlis , profectum esse in  
cœlos ybi nunc sit, non in terris, & verè, ut  
testantur Angeli, inde vltimo die ventu-  
rum. *Ex Petro*, oportere illum cœlo conti-  
nenci ad vltimum usque diem. *ex Paulo*, pe-  
regrinari nos à Domino in terris, & opor-  
tere nos dissolui ut cum Christo simus. *ex*  
*Luca*, visum esse Christum ipsum in cœlis  
Stephano non in terris. *Ex Ignatio*, Cor-  
pus Christi hęc omnia habere nobiscum  
communia, quę propriasunt humani cor-  
poris, id est quibüs ablatis corpus huma-  
num esse desineret. *Ex Didymo*, vniuersa  
quę facta sunt , habere sine villa exceptio-  
ne, circumscriptam substantiam. *Ex Apollini-  
nari*, Christi copulationem cum corpore  
non mutare corporis naturam . *Ex Seue-  
riano*, Christum versari in loco secundū  
corpus , extra locum positum secundum  
Verbum. *Ex Origene*, Non esse humanita-  
tem nobiscum omnibus diebus usque ad  
consummationem seculi , nec congrega-  
tis ybique fidelibus : sed virtutem diuinā  
quę est in Christo Iesu. *Ex Athanasio*, Eius  
esse ire & venire qui aliquibus locorum  
terminis circumscribatur, & eum in quo

C.ij.



erat locum deserere , vt ad alium vbi non erat, veniat. *Ex Theodoreto*, Corpus quidē Christi esse à corruptione & interitu alienum, impassibile, immortale , diuina gloria glorificatum & sessione ad dextram Patris dignatum, & à cœlestibus adorari potestatibus(nempe vt Dei corpus) corpus tamē esse , & habere eam quam prius habuit formā, figuram, & circumscriptionē. *Ex Nazianzeno*, Christū habitare in cordibus nostris non secundum naturam aspectabilem, sed secundum naturam inuisibilem, & circumscriptum corpore & in circumscriptum spiritu, id est, deitate, qui loco contineatur , & loco non continetur. *Ex Tertulliano*, Vnius Dei nature esse vt adesse omni loco possit. Quę ex Cyrillo, Vigilio , Ambrosio , Augustino paulò antè citauimus, eodem spectant, & eorum sententiam qui corpus Christi aliter usquam realiter quam secundum naturalem circumscriptionem adesse docent, diserte refellunt.

6 *Docet Beza Christum nihil in Cœna dicere contrarium intellectui humano: & verba Christi intelligenda necessario secundum naturalem rationem.*

Hęc verò cuiusmodi sit calumnia ex hoc



hoc saltem scripto diiudicetur. Egōne ve  
rò sapientiam Dei subiecerim hominum  
stultię? Sed res sic habet. De præsentia  
reali siue situ corporis Christi, dico ex eius  
veritate, & rursum de ipsius veritate ex na  
ture verè corpore & humānē idiomatib⁹  
essentialibus statuendum, quibus videli  
cet abolitis corpus desinat esse corpus, in  
ter quę idiomata pono quātitatē, corpo  
ribus vñq. adeò propriam vt rectē dixerit  
Augustinus de ipso Christi corpore glori  
ficando differēs, Tolle spatia corporib. &  
corpora non erunt. Sic etiā Christus ipse  
veritatē corporis sui post resurrectionem  
probat, quū, inquit, palpate & videte. Itē  
Ioānes, 1. Ioan. 1, 1. Quod vidimus, q̄ spe  
ctauimus, q̄ cōtrectauimus, &c. Nec alia  
evidētiore ratione patres Marcionis dog  
ma cōfutant, & Theodoreus Eutychetis  
hæresin, absorptam à Deitate humanita  
tem, saltē post ascensionē somniantis. At  
nostrī antagonistē quātō apertius etiā  
quām ille à vero aberrant. Nā illevidit nō  
posse nisi sublata circūscriptione cōstitui  
corporis Christi infinitatē: at isti simulquā  
tum & non quantū, locale & illocalē, prē  
sens & absens esse volunt. Ut ad rē redeā,  
d e naturalis corporis Christi veritate ex

C. iiij.



naturę legibus iudicandū dico, nec propterā gloriā ipsius ~~τοφουοντω~~ tollo, quæ sit ut sola deitate excepta, sit hoc corpus supra res omnes creatas esse: sed ~~αριφυσινθ~~, id est, quib. positis corpus nō esset, penitus reiicio. De sacramentali verò coniunctione statuo cum Augusti no de ipsis sacramentis nostris loquente, honorē habere posset religiosa, stupore autē ut mira, nequaquam quod tamē falsissimū esset si realis in, sub', vel cū pane in terris presentia corporis statueretur, & ad hō statuendum dogma, rectè ad Dei omnipotentia deueniretur. Sin verò de Sacramenti veritate, & efficacitate, siue de corporis Christi cōmunicatione quæritur, tum demum verè magnū atq. adeò incomprehensibile huius mysterium esse dico, contrà quām ijsentire videantur qui oralē manducationem ponunt. Quid enim est in oralī presentis realiter carnis manducatione admirandum, & quod ordinem communem transgrediatur?

*7 Beza negat veritatem verborum Christi in Cœna.*

Imò si impietatis reus est, quisquis nō seruat τὸ πντὸν in singulis sacrarum literarū verbis, cur tot passim tropi in earū explicatione annotatur cur? nō apertè trāsi-

mus in Anthropomorphitarū castra? Ego Selneccere, Dei beneficio, tā veracē esse Christum scio quām Deum esse, neq. me hac luce dignum censerem si secus putarem. Tu verò vide potius nē dum contradictoria simul vera esse vis sine tropo, sic veritatem adstruas, vt mendacium altera ex parte tuearis. In summa, mi homo, longè aliud est, quæ vera quæ falsa sit verborum Christi interpretatio ex fidei analogia disceptare, quām veritatem verbis Christi, id est, ipsi veritati, detrahere.

8 Beza sic interpretatur ascendisse Christum in cælos, ut Cæli appellatione cælestes illas regiones intelligat in quibus, sicut in continente contentum contineatur: & ex ascensione colligat Christi carnem nunc à terris abesse.

Omnino ita est. Tu verò quid Cœlorum nomine intelligis? Non certum locum, inquis, ex aliqua materia extractum, sed gloriam, Maiestatem, gubernationem, & potentiam diuinam. Patere igitur, si potes, vt nos qui tibi hac in rebestiæ sumus, in hoc vestrum arcum inquiramus, quamquā id iam olim fecimus. Prouocamus ergo in primis ad ipsam historiam ascensionis Domini, deinde ad totius Ecclesiæ perpe-



tuum tantumque consensum ut hunc articulum ita ut verba sonant, de naturali videlicet & locali in summas illas regiones ascensu, intelligendum esse nunquam sit magis dubitatum, quam quæsitum an aliquis sit Deus: ac tertio deum loco te tuæque alioqui factio[n]is homines appello. Ad ipsam historiam quod attinet si quæras ex Luca quid sit Ascendere, respondebit, Sursum ferri. quânam per medias nubes. quónam cælos illos supremos versus, nisi putas Apostolos intuitos esse nō illos cælos quatenus sunt aspectabiles, sed quasi de isto allegorico vel potius Vtopico vistro certiores factos fere ad illâ quâ vocatis omnimaiestatem non tantum oculis inuisibilem, sed intellectui etiam nostro imperscrutabile cōuertisse. Certè illuc ascendit ubi apertis cælis illum vidit Stephanus, unde illum tonantem audiuit Saulus, & unde venturus creditur. Venturum autem cælitus ille saltē Apostoli locus ostendit, in quo dicimur ituri ipsi obuiam, εν νεφέλαις, εἰς αἴρα. Quod attinet ad Patrū testimonia, quoties iam sunt à nobis prolatæ, quibus ne γρῦ quidem respondistis? Repetam tamen nonnulla, ex quibus tria nobis rursum

sum constabunt, nempe de locali ex terris discessu, & locali in cœlestes illas ipsas summas regiones ascensu, historiam esse intelligendam: & corpus Christi sic nunc illic esse suis veri corporis dimensionibus finitum, circumscriptū, & ut in loco continente verè contentum, ac demum tantum abesse ut vestro exemplo vetustas ex articulo ascensionis Domini præsentiam corporis illius simul in terris & in cœlis collegerit, ut contra à terris idcirco abesse dicat quoniam in cœlos abiit, nō prius inde quam vltimo illo die redditurus. Sic igitur Theodoretus Eutycheten refutās. *Corpus Domini diuina quidem gloria glorificatum, & sessione ad dextram patris dignatum est: corpus tamen est, & habet quā prius habuit formā, figuram, & circumscriptionē.* Item Nazianzenus, Docemus eundem Christum circumscriptum corpore ( id est, quatenus homo est) incircumscriptum spiritu ( id est, quatenus Deus est ) qui loco continetur (repete, corpore) & loco non continetur (repete, spiritu.) Et Cyrillus. Nullus ambigit quum ad cœlos ascenderit, quanuis virtute spiritus semper adsit, præsentia carnis ipsum abesse. Imo Cyrille, exorti nunc sunt qui idcirco præsentia carnis ipsum



adesse contendant quoniam in cœlos aſ-  
cendit, id est, omnem Maiestatem intra-  
ſe recepit ut omnia ſuipſius reali ſubſtan-  
tia impleret. & qui tuū iſtud praefentia car-  
nis, ad infirmitatis & mortalitatis Christi  
tempus, non ad iſam carni ſubſtantia  
referant, cui opponatur virtus Spiritus, id  
est, ut iſi volunt, non deitas iſa ſed eius  
omnes proprietates in carnē Christi ef-  
fuſæ. Quid tu ad hæc, Cyrille? Si diuina i-  
pſa natura partitionem reciperet, intelligere  
tur & corpus. Si autem hoc, & in loco omnino  
& magnitudine, & quantitate, & ſi caderet  
in eam quantitas, non effugeret circumſcri-  
ptionem. Demus igitur tibi diuina omni  
energia exornatam Christi carnem: quia  
tamen caro eſt, corpus eſt, & ſi corpus,  
ergo circumſcriptum: & ſi circumſcri-  
ptum, ergo in loco: ſi in loco, ergo ut con-  
tentum in cōtinente. Viden' ergo quām  
hæc ſint falſa & aorſata. Et Vigilius, quē  
quoties carpetis, toties Eutychianos vos  
fateamini neceſſe eſt: *Quando in terra fuit*  
*non erat utique in cœlo, & nunc quia in cœlo*  
*eſt, non utiq. in terra, & intantum non eſt, ut*  
*ſecundū iſam carnē expectemus ē cœlo vētu-*  
*rum, quem ſecundum verbum nobis cum eſſe*  
*dicimus in terra. Eſt Christus nobis cum, &*  
*non*

non nobiscum, quia quos reliquit & à quibus  
descendit humanitas sua, non eos deseruit di-  
uinitate sua. Item, Aut Verbum cum carne  
sua loco continetur, aut Caro cum Verbo ubi-  
que est, sed quia Verbum ubique, caro au-  
tem ubique non est, apparet unum cundem  
que Christum utriusque esse natura, & esse  
quidem ubique secundum naturam diuini-  
tatis sue, & loco contineri secundum naturam  
humanitatis sue. Circumscribitur loco secun-  
dum naturam carnis sue, & non capitur loco  
secundum naturam diuinitatis sue. Hæc est  
fides & confessio Apostolica quam Apostoli  
tradiderunt, Martyres roborauerunt, & fi-  
deles nunc usque custodiunt. Audis verba  
contineri loco & capi loco, Selneccere,  
ex quibus intelligunt omnes à qua parte  
stet fides Apostolica. Et Augustinus. Spa-  
tia locorum tolle corporibus & nusquam erant:  
& quia nusquam, ergo non erunt. Ubique  
crede Christum quatenus Deus est, in cælo  
autem per id quod homo, secundum veri cor-  
poris modum. Ergo Cœli nomen perpera  
interpretaris Selneccere, omnipræsentiam  
ex ascensione in cœlos falsò colligis, &  
malè negas Christi corpus esse in cœlo ut  
contentum in continente. Item, Dei fi-  
lium in homine assumpto visibili, corpo-

reum, atque *LOCalem* post resurrectionem non credere & profiteri, est prophani. Item, Christus est in loco aliquo cœli, propter veri corporis modum, cui immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Item, *Ego corpus Christi ita in cælo esse credo ut erat in terra quum ascenderet in cælum, & quemadmodum ipse Christus discipulis de resurrectione ipsius dubitantibus ait, palpate & videte, Spiritus carnem & ossa non habet.* Item, *Secundum carnem quam Verbum assumpit, ascendit in cælum, non est hic.* Et Fulgentius secundum substantiam humanam absens cœlo quum esset in terra, & derelinquens terram quum ascendet in cœlum. Item, *Vt LOCALEM ostenderet suam humanitatem dixit discipulis, ascendo ad patrem.* Item, *quomodo ascendit in cælum, nisi quia verus & Localis est homo?* Item, *Idemque atque inseparabilis Christus secundum totum hominem quem accepit terram LOCALITER deserens in cælum ascendit.* Denique quid D. Philippus suis in epistolam ad Colossenses commentariis de locali ascensione in cœlum scriperit, quo viuo vestra hæc disparatio apud Brentium occulta permanit, minimè ignoras. Sed advos ipsos venio. Heshusius  
ille



ille qui, ni fallor, primus ausus est hoc seculo inter eos qui Papisticam hierarchiam oppugnarunt fere episcopum vocare, totidem verbis haec scripsit: Necesse est facteri corpus Christi in caelo certo spatio concludi. quod verbum quum multo sit durius quam illud C A P I, tu videris cur tu in me tam acerbè reprehendas. Tu vero an non ex professo in Thesibus V vitebergæ excusis tuoque & trium aliorum nomine editis realem communicationem idiomatum diuinæ naturæ in humana ex professo, Thesibus 30, 31, & 33, oppugnasti? Denique in hoc ipso scripto vide quām tibi parum constes. Intervanissima quedam argumenta quorum refutationem fortiter dissimulas, illud quoq. profers, corpus Christi esse in Verbo Filio Dei, Verbum autem non esse locum, ergo corpus Christi non esse in loco. Demus hoc argumento concludi id quod tu vis: quando ascenderit Christus in cœlū? tum certè quum fuit conceptus: aut si postea velis illum ascendisse, nempe non nisi 40 à resurrectione die, cur ascendisse dixerimus ut gloriam cœlestem natus ubique præsens esse posset, si iam in loco non erat, quia in Verbo erat? Ad illud



autem argumentum quod attinet , Si quia Verbum non est locus,idcirco corpus quod est in Verbo , non est in loco , quid tandem erit in loco ? Nam , inquit , Apostolus,in Deo viuimus,mouemur,& sumus. At non,inquieris,hypostatica vniōne. Concedo, sed, quod argumenti tui vanitatem redarguit,in hac vniōne seruantur naturarum proprietates. itaque circumscripta manet , ac proinde localis humanitas , quanuis in infinita & illocali verbi hypostasi subsistens.Iam verò de se fione ad dexteram patris , numquāmne animaduertetis quām inanis effundatis? Sit sanè ad dexteram Dei sedere , suprā res omnes creatas euectum esse & omnē cas gubernandi potestatem accepisse , (quis enim nostrūm hoc negat?) num inde efficitur substantiæ ipsius carnis omnipræsentia , aut realis illa idiomatum deitatis in assumptā humanitatem effusio id est , Eutychiana propriétatum confusio? nec enim effusio illa realis aliud quā confusio esse potest , quū idiomata natūram singularum rerum constituant ac discernant. Carnem igitur glorificatam exorna istis idiomatibus quibus Deitas à rebus omnibus creatis propriè discerneretur.



nitur, & humanitatem in Deitatem transformaris, imo etiam humanitatem absorberis, quia duplicita idiomata diuersarū substantiarum habere nulla singularis natura potest, multo minus verò ea idiomata quæ simul stare nequeunt, veluti Quantitate & circumscriptione præditū esse, & Quantitatis ac circumscriptionis expertē esse: vno loco totū cōtineri, & pluribus locis totū esse, & similia. Sunt ista, dices, physica. Sunt sanè, quia naturam carnis essentialē gloria non absorpsit, neque hypostaticam vniōnem aboleuit, in qua singularum naturarum proprietates substanciales in suis subiectis permanent. Tua verò antiphysica sunt ideoque sunt commentitia, adeoque Verbo Dei & perpetuo Ecclesiæ totius iudicio damnata, quod naturam humanam nō perficiant & exornent sicut hyperphysica quæ minimè inficiamur, sed extinguant & aboleant. Deinde si Ascendere in Cælos inde declarat atque Omnia illa quæ dicitis consequi, quod idem postea per sessionem ad dexteram Maiestatis significari vultis, quis non videt alterum istorum in nostro symbolo redundare? Longè profectò aliter Patres qui gloriæ Christi ad

D.j.



dexteram patris sedenti nihil detrahūt,  
& tamen ex eius in cælos ascensu , caput  
in cælis esse, non in terris , & membra in  
terris adhuc esse non in cælis colligunt . Si  
quæratur , inquis , *vbi sit Christus in cælis*,  
*responde ad dexteram Patris , ergo non*  
*in loco.* At nos dicimus , Si quæratur , vbi  
fedeat ad dexteram Patris , id est , vbi re-  
gnet omni res omnes creatas gubernādi  
potestate accepta , responde in cælis , ergo  
in loco , inquit Augustinus & tota anti-  
quitas , secundum veri corporis modum .  
Denique ut omnes norint Patres sic con-  
iunxisse sessionem ad dexteram Patris  
cum collocatione in cælis , vt ex vtraque  
non præsentiam realem substantiæ car-  
nis , sed absentiam inde collegerint , audi  
Athanasium , *Eius est ire & venire , qui loco*  
*rum terminis circumscribitur , & eum locum*  
*in quo erat deserit ut ad alium vbi non erat*  
*veniat.* Loquitur autem de corpore Chri-  
sti etiam glorificato . Audi Theodoretum  
*Corpus quod diuina gloria est glorificatum ,*  
*& sessione ad dextram patris dignatum ,*  
*corpus tamen est , & habet quam prius ha-*  
*buit circumscriptionem .* Audi Cyrillum ,  
*Corpore est absens Christus Patri pro nobis*  
*apparens , & ad dextram ipsius sedens .* Audi  
Au-



Augustinū, Christus per id quod homo est,  
sed etque ad dextram Patris, veniet eadem  
carnis forma & substantia cui immortalita-  
tem dedit, naturam non abstulit.

9. Scribit Beza naturam humanam in  
Christo nihil diuinum à Christo recepisse.

Imo hæc scripsit contra conscientiam  
suam Selneccerus, cui iampridem toties  
Beza inculcauit credere se carnem Chri-  
sti supra res omnes creatas inenarrabili-  
ter esse inenarrabili gloria & maiestate au-  
ctam, sed eo excepto qui subiecit ei om-  
nia, adeo ut quantumvis sit exaltatus se-  
cundum humanitatem, sit tamen in ea  
seipso Deo minor, sicut disertè loquuntur  
Ambrosius, Augustinus, Apostoli 1. Corin.  
15.27. & Christi ipsius vestigia sequi-  
ti, dicentis, Pater maior me est. Denique  
Selneccere qui me toties Diabolū in hoc  
tuo scripto vocas, scito hoc quod agis, es-  
se propriè θεοβάλδην ή συνοφαντεῖν, quo-  
niam inter ἀρφωσιά & ανπφωσιά discer-  
nere vel non possis vel nolis, neque ab es-  
sentialibus quæ naturas ipsas cōstituunt,  
accidentia discernere, quibus augeri vel  
imminui naturarum dignitates possunt,  
& quibus si in ipsa quoque gloria prædi-  
tam Christi carnem negas, aboles illam

D.ij.



ipsam humanitatem quam videri vis exornare.

10 Ait Beza Christum quatenus noster est frater & verus homo, non esse in cælo cælorum, ubi est Deus in gloria sua, & nihil habere honoris & maiestatis diuinae.

Enim uero, Selneccere, non erubuisti quum hæc imperitis neque aliunde quæ ex te ipso quæ nostra sit sententia cognituri diceres ac scriberes? Méne vero tuliterit Geneuensis Ecclesia aut ylla alia, ac non potius absorperit terra tam insanè ac furiose blasphemum? Scio ego, scio ac profiteor per Dei gratiam penetrasse carnem Christi suprà omnes cælos, ibique nomen quod est suprà omne nomen adeptam, ubi nos quoque vna cum eo in æternum regnabimus, quia poposcit & im petravit à Patre ut ibi simus ubi est: neque istis sedibus garrio cum sophistis & enthusiasmiastis, contentus iis quæ Verbo Dei sunt nobis patefacta donec videamus eū sicuti est. At vos qui celorum nomine non æternas illas sedes sed Vtopicā carnis maiestatem intelligitis, videte ne ijs sitis potius qui verā ipsius gloriā in vanum somnium conuertatis. Certè ineptum est dicere Christum sedere in cælis in maiestate di-

tē diūinā, si Cælorum nomine ipsa diūinā maiestas intelligitur.

*II Ait Beza naturam humanam Christi tam esse extrā diuinitatem quam res ceteras.*

Mirū est, Seltieccere, audere te Bezzæ tribuere Nestorianam blasphemiam quam totidem penè verbis ex Brentio & Iacobō Andreā descripsieris. Aiunt enim illi disertis verbis non aliter esse Deum in Christo quā in Petro, ita in re quauis quod ad ipsam diuinānaturā attinet, sed in eo discrimen esse quod in Petrum tantum aliquas, in Christū verò omnes suas proprietates effūdat. An ego aliquid eis affingam, ex prolatis eorum scriptis diu dicet Ecclesia. Tu verò si vel voculam in meis scriptis inuenias ex qua eiusmodi blasphemia inuehatur, ecce ceruicem securi subiicio. Hoc quidem dixi quum tuam illam planè Eutychianam blasphemiam refellerē qua disertè scripsi. *Christum in sua humana natura esse secundam personā in Diuinitate, humanā naturā seorsim & in sese consideratam esse aliquid extra Deitatem, sicut & reliquas res omnes creatas: sed eius hypostaseos respectu in qua sustentatur, sic esse à Ver-*

D.iii.



bo re ipsa distinctam, ut tamē extra Verbum non sit quum in eo subsistat: nō rectē tamen propterea dici esse in Deitate, si Deitatis vox pro essentia ipsa diuina absolute accipiatur, sed tum demum quum ad Verbi personam restringitur Deitatis appellatio, quum neque à Patre neq. à Spiritu sancto sit assūpta humanitas. Vides igitur quā multa in illo tuo dicto requirantur, quod siue improbitate, siue potius ignorātia fecisti, ignoscat tibi Dominus. Quòd si distinctionis nomine separationem significari existimasti, num idcirco sum blasphemus quòd tam crassè hallucineris?

12 *Scribit Beza naturam Christi humanā non debere innocari in Christi persona.*

Si hoc vel per somnium cogitauit Beza, sanè blasphemus est. Extant eius scripta, profer locum Selnecere, aut in manifesta calumnia teneris. De adoratione personæ Christi sic ego multis ante annis Brentio respondi, *Ex Augustino, In Christo Domino humanitatem nō solam aut nudam, sed diuinitati suæ unitā, unum Dei Filium Deum verum, & hominem verum, qui adorare contempserit, eternæ mortis pñna patietur. postea subiicio. Quomodo igitur*

tur hominē Christum adoramus? quia unus  
& idem ille est Deus. Quomodo Christi car-  
nem adoramus? Quia, est Dei caro. Itaque  
non subsistit in carne hac nostra adoratio, sed  
ad eum penetrat cuius est caro, à quo tamē il-  
lam non separat, quoniam hypostaticè cum eo  
est unita. Sic enim scribit quoque Cyril-  
lus lib. de incarnatione vnigeniti, ca. 26.  
cuius verba in codem illo libello protu-  
li: *Adorauit Christus nobiscum. Vos e-  
nim ( inquit Ioann. 4, 22.) adoratis quod  
nescitis, nos adoramus quod scimus. At est e-  
tiam adorandus: flectitur enim ipsi omne ge-  
nu. Hoc quoque secundum aliud & aliud. A-  
dorat enim quia naturam assumpit quæ de-  
beat adorare, adoratur autem porrò idem, ut  
maior adorante natura, per id quo intelligi-  
tur Deus. Adoratione vero non est diui-  
dendus in hominem seorsim, & in Deum:  
nec vero, quasi Deus sibi coniunctum aqua-  
litate dignatus sit, diuisis substantiis ( non  
est igitur hypostatica vno posita in pro-  
prietatum effusione & Ἐξοίας exæqua-  
tione, vt Brentiani docent, Nestoriano si-  
mul & Eutychiano dogmate renoua-  
tis ) cum ipso adorari dicimus hominem  
( id enim extremae impietatis plenissimum  
est ) sed unum adorandum *Dei Verbum**

D.iii.



*quod factum est homo & incarnatum est;*  
*Hactenus Cyrillus, ex quibus non modò*  
*falsum esse liquet quod nobis impingit*  
*Selneccerus, sed illud quoq. constare pos-*  
*tet, ex Brétili & Iacobi Andreæ dogma-*  
*te consequi Christum adorandum non*  
*esse. Tradunt enim apertè, his verbis,*  
*Verbum caro factum est, nihil aliud significa-*  
*ri quam quod Filius Dei et si sua essentia im-*  
*pleat Petrum sicut & hominem Christum, nō*  
*tamē communicat Petro omnes suas proprie-*  
*tates, sed tantum nōnullas. Hoc autē si ve-*  
*rum est (quod absit) non esset certè Chri-*  
*stus natura Deus, sed communicatione*  
*gratiæ summè diuinus, Petrus autē tan-*  
*tum aliquatenus diuinus, neuter verò a-*  
*dorandus. En quò nos vbiquitaria hypo-*  
*staticæ vnionis declaratio abducit, &*  
*quo iure quos Caluinista appellant ha-*  
*retici & blasphemi appellantur.*

Superest quiddā quod prætereuudū  
 nōn pūcaui. Edidi ante biennium Theo-  
 dori cuiusdam presbyteri Rhētēsis Græ-  
 colatinum libellum in quo *var̄ ep̄īculū*  
 annotātur veteres aduersus Christi per-  
 sonam hæreses. In eo vbi describitur Sa-  
 mosateni dogma, dicitur ille dixisse sic  
 habitasse Deum Verbū in Domino si-  
 cūc



et ut & in singulis Prophletis, ac proinde duas in Christo fuisse naturas διηρημένως ἐχόσας ή αὐτοιωντες τοις εἰσιτας παντά πασιν, id est ut ego Latinè verti, separatas & citra ullam prorsus inter se cōmunionem. Hanc igitur voculā arripiens Iacobus Andreas quod in se prorsus dictū est audet aduersum nos detorquere, quod videlicet idiomata essentialia negemus in hypostatica vniōne re ipsa inter naturas cōmunicari, quod Eutyches tūm de naturis ipsis tūm de proprietatibus eārum affīrmabat. Atqui Samosateni dogma nihil ad proprietatum effusionem pertinebat, vt qui pōti⁹ fateretur omnia Deitatis dōna in Christum hominem quamabūndātissimē fuisse effusa quum eūm idcirco Deum nuncupatum fuisse existimaret, gratia videlicet & ωμψοια siue (vt nūc loquūtur Brētiani) ἐνεργεια non στοιχιού vñtagātē, quandoquidem Christū esse dūtaxat hominē credebat. Itaque Φιλός αὐθωπτος Samosateni non significat hominem naturalib⁹ tantū donis præditum ad quæ nulla alia diuinitus collata accessissent (quis enim hōc vñquam nisi palam impius docuit?) sed hominem declarat humana dunta.

xat naturā præditum : ac proinde ἀνοι-  
ρωνήτεσidem ibi declarat atque ἀνδὲ ἐνώ-  
τεως, quod ex opposito, *diapéσewç* nomi-  
ne apparet, neque ad proprietates, qua-  
rum nulla sit ibi mentio, sed ad ipsas &  
τίας siue φύτεις refertur, quā impiā hære-  
sim idcirco idem Rhætensis dicit à Ne-  
storio postea renouatā. Denique Vnio-  
nis gratiam negabat Samosatenus vt &  
Nestorius , gratiam autem habitualem,  
vt in scholis loquūtur, siue Spiritum abs-  
que mensura vt loquitur Ioannes, neuter  
est inficiatus , & sic usus est nomine κοι-  
νωνίας Rhætensis , vt Hilarius aliquoties  
Communionis & societatis vocibus, Ire-  
næus autem etiam mixtionis.

Cæterum vt tandem aliquādo ista mo-  
lestissima scriptiuncula defungar, prouo-  
co à meis accusatoribus simul & iudicib.  
ad vestras Celsitudines Illustrissimi, potē-  
tissimi, & clementissimi Electores ac prin-  
cipes, ad vestras dignitates Generosissimi  
& spectatissimi Comites, Barones & ma-  
gnifici liberarū Imperij ciuitatū magistra-  
tus, Reuerēdi viri Christianarū in Germa-  
nia ecclesiarum fidi & moderati pastores,  
& scholarum doctores, ad vos omnes de-  
nique sanctum Dei Euangeliū in con-  
fessi



fessione Augustana amplexos: prouoco,  
inquam, ad vos, de iniuria tum mihi priua-  
tim tum etiā tot populorū ac regnorū Ec-  
clesiis idem Euangelium in confessionib.  
Gallica, Anglicana, Belgica & Heluetica  
cōmuni confensu amplexis, ab his duob:  
illata conquerens, Deūmq. testē ac iudi-  
cem appellans: me siquid in his cōtrouer-  
siis peccō (quod sānē non arbitror) nō ta-  
men vt hēreticum, non vt blasphemū &  
impium, sed vt hominē errare, nec vllā le-  
gitimi conuentus iustā cognitionē defu-  
gere. Deinde & hoc peto & per eū zelū ob-  
testor quo verē pios oēs homines affectos  
esse oportet erga veritatem ac religionis  
Christianæ puritatem, vt iusta & verbo  
Dei ac perpetuo Ecclesiæ purioris exem-  
pli cōsentanea ratio ineatur, nō qua alij  
alios inauditos voce aut scriptis condē-  
nent, sed qua diiudicatis ex Dei verbo &  
præēnte trāquilla & rectē instituta cogni-  
tione cōtrouersiis omnibus, idē omnes in  
Christo sentiamus, cōmūnē Euāgelij ho-  
stem spiritu Dei nostri oppugnatū, ac  
tandēm superaturi. Ad hoc autem iudi-  
cium vt paratiōres omnes accedant, quæ  
mea sit priuatim & quæ Ecclesiarum do-  
ctrina, æquum est vt ex scriptis demum



nostris aut idoneis aliis testibus accusatores nostri doceat. Proferant igitur ipsi locos non interpolatos aut decurtatos sed bona fide descriptos, quemadmodum haec ex illorum scriptis bona fide excerpta, quae mihi quidem aperte tum Nestoriana cum Eutychiana videntur, Ecclesiis discutienda & diudicanda propono.

Andreas Musculus, haec nuper in articulis illis scripsit de Coena Domini, quos Ecclesiis & Scholiis Marchionatus obtrusit.

1. *Ascendere Filium hominis nihil aliud est & significat quam disparere. Et Filius hominis in Caelum ascensio nihil aliud est quam inuisibilis disparentia.*

2. *Filius hominis ascendit in Caelum, non loci mutatione secundum personam, sed modo presentiae visibilis in inuisibilem mutato, euangelica seu disparentia quadam.*

3. *Caelum in quod ascendit Filius Dei non significat cælum elementare stellatum, sed gloriam Dei nullis locorum spatiis circumscripta.*

Et in Thesibus de incarnatione, 2, 4,  
5, 6, 8, 9.

4. *In corpore Christi a momento incarnationis non est querendus ordo naturarum, atque ad eius conceptionem non opus fuisset alio*



alio modo quam naturali. Itaque propter hanc admirabilem conceptionem & nativitatem, & duarum naturarum unionem in unam personam, non potest dari locus in quo sit Filius Dei secundum diuinam naturam, in quo non sit Filius hominis secundum humanam natu-  
ram & ante & post ascensionem & sessionem ad dextram Patris: (Ergo iste Musculus non facit ascensionem neq. sessionem ad dextram Patris, causam Ubiquitatis, qua ratione à Brétio & eius adstipulatoribus dis-  
sentit.) Et quum sit unus & idem Christus, sicut secundum assumentem, sic & secundum assumptam naturam nullis localitatis physicae necessitatibus est subiectus nec locorum terminis circumscriptus. Denique Christi huma-  
tis ab ipsa incarnatione est eae in ea glo-  
riam ac maiestatem ut in ea non circunscri-  
batur loco, verum etiam terram & celum im-  
pleat, caelesti & humanae rationi inscruta-  
bili modo. Imò si circumscripta non est,  
ut tu vis, inenarrabilis non est modus quo  
adest, sed inenarrabilis esset modus quo  
visibiliter & circumscripsiè adesset. Sic  
nimirum sibiipsi cōtradicat erroris spiri-  
tus necesse est, Totum à suis integranti-  
bus partibus, & concretum ab abstracto  
non distinguens: quoniam nihil videant



oportet quos contentionis spiritus ex-  
cœcauit.

*Audiamus iam Brentium ipsum, omnium  
istorum dogmatum, mortuo Philippo,  
auctorem præcipuum.*

40. Reconvallis & ceps. Hæc sententia, VERBVM CARO FA-  
CTVM EST, nihil aliud significat quam  
quod Filius Dei filium hominis ita assu-  
mperit ut effundat in eum omnem suā ma-  
iestatem: & sic eum impleat, ut communi-  
cet cum eo omnem suam potentiam, sa-  
pientiam, scientiam, & præsentiam.

Quod est inter Christum & Petrum di-  
scrimen? Vterq. enim est homo, & in vtro  
que est Deus. Dicis, Illud est discrimen q.  
Christus non tantum sit homo, sed etiam  
Deus. Petrus autem tantum sit homo, nō  
etiam Deus. Atqui ut in Christo inhabi-  
tat diuinitas eaque tota, secundum essen-  
tiam, potentiam, & præsentiam: sic & to-  
ta inhabitat in Petro. Vbicunque enim  
Deus est, totus est. Non potest igitur hac  
ratione inter Christum & Petrum discri-  
men esse ut dicamus Christum hominem  
esse Deum, Petrum autem non esse Deū.  
Christus edidit multa miracula: edidit e-  
tiam Petrus, & quidē potentia diuina nō  
lögē absente sed omnino præsente. Chri-  
stus



stus vidit futura, vidit & Petrus, & vaticinatus est. Christus, mortuus & sepultus, resurrexit & ascendit in cælum. Sed & Petrus resurget & ascendet in cælū, & quidem, quod penè admirabilius est in Petro quam in Christo, corpore suo iam in puluerem redacto. Dicis, Christus resurrexit à morte sua virtute, Petrus aliena: Imò sicut Christus excitatus est diuina virtute, ita resurget Petrus diuina virtute, eaq. nō minus ipsi quā Christo præfente, quod vbiq. sit diuinitas, ibi sit tota. Christus vidit absentia, vidit & Petrus. A&t. 5. sicut & Eliseus. Itaq. ex isto Euangelistē dicto, Verbum caro factum est, quod de Christo dicitur, non de Petro, discrimen Christi & Petri eo statuendum est, quod Filius Dei etsi sua essentia implet Petru & hominem Christum, non tamen communicat Petro omnes suas proprietates, sed tantum nonnullas.

Viuificat enim Petrum, conseruat Petrum in vita, Petro dat potestatem euiciendi dæmones, imò etiam excitandi mortuos. Interea verò non facit eum omnipotentem, omniscientem, omnipræsentem.

Exæquamus humanitatem Christi di-

pag. 63.



uinitati, non *ουσια* sed *εξουσια*, non essen-  
tia sed potentia, non natura sed gloria,  
non substantia sed maiestate.

*Pag. 231.* Discrimen inter Christum & alios ho-  
mines non constat propriè in habitatio-  
ne Filij Dei in filio hominis, sed commu-  
nicatione proprietatum quibus filius ho-  
minis ab inhabitante Filio Dei ornatur,  
ut humana natura sit receptaculum au-  
gustissimum omnium cælestium & diui-  
norum beneficiorum.

*Pag. 243.* Quod dicit Theodoretus & alij, cor-  
pus humanum habere in altero seculo  
eandem circumscriptiōnē quam ha-  
buit in hoc seculo, nullo recte intellecto  
sacræ scripturæ testimonio dicit, & est  
puerilis cogitatio de rebus cælestibus.

*Pag. 244.* Quum Christus ait, Vado paratus  
vobis locum, non loquitur de loco, sed  
metaphorice de felicitate & beatitudine  
vt sit hic sensus, Vado ad passionem & ad  
mortem qua paratus sum vobis Patrē  
propitium, vt vos mecum perpetuò felici-  
ces reddat.

*Ibidem.* Ait Christus, Venia ut ubi sum ego &  
vos sitis. Et respondet Philippo, An ne-  
scis quod in Patre sum, & Pater in me? Est  
ergo Christus in Patre. Et qui credentes  
ducatur

ducat eō vbi ipse est, sequitur quod faciat  
ut & ipsi sint in Patre, id est, habeant pro-  
pitium Patrem, & fruantur vna cum ipso  
paterna hæreditate.

Afflumi in Deum non aliud est quam  
in cælesti & diuina gloria collovari. Pag. 166.

Ascensio Christi in cælum fuit exter-pag. 167.  
num spectaculum usque ad nubes, nec  
pueriliter cogitandum est quod progres-  
sus sit physico & corporali modo ad fi-  
ctitium illud cælum quod Empyreum vo-  
cant, vbi commoretur ea forma qua visi-  
biliter ascendit: sed sentiendum est quod  
deposita forma, non quidem essentiali  
sed accidentaliter quam in externo ascen-  
sus spectaculo ad tempus assumpsit per  
dispensationem, receperit formam Dei  
qua aliquandiu testa fuerat forma serui,  
& perrexerit omni sua maiestate quam  
habuit, sicut.

Christus dicitur corpore seu humani-  
tate sua penetrasse cælum & ascendisse su-  
per omnes cælos, non quod deseruerit hoc  
cælum, aut terram, & que in eis sunt,  
sed quod non in hoc cælo ita hæreat, ut  
non etiam omnia impleat. Pag. 191.

Etsi Christus ab externo spectaculo af-pag. 247.  
census fui in cælum dicitur confessisse ad

E.J.



dextram Dei Patris sui omnipotentis, tam  
en veritas huius rei non tunc primum  
facta est quum Christus ascendit visibili-  
ter in cælum, & misit discipulis Spiritum  
sanctum, sed quum Verbum caro factum  
est, & assumpit humanitatem in Deum.

Pag. 249. Si Christi humanitas in dextra mai-  
statis circunscriberetur locis, non esset  
præstantior Angelis factus: quippe quod  
circumscribi certo loco non sit summæ  
maiestatis, sed aut corporalis infirmita-  
tis aut spontaneæ, ad gratificandū alio-  
rum infirmitati dispensationis.

Pag. 255. Si Christus humanitate sua sedet ad  
dexteram maiestatis & omnipotētię Dei  
Patris sui, manifestum est quod ubi-  
que fuerit maiestas & omnipotētia Dei,  
ita sit quoque Christus humanitate sua.

Pag. 273. Christus non erat in sepulchro, mor-  
tuus videlicet, qualem mulierculæ quæ-  
rebant, neque iuxta externum aspectū.  
Erat autem non in sepulchro tātū, ve-  
rū etiam in cælo & in terra, iuxta diui-  
nitatis suę maiestatem. Voco autē nunc  
diuinitatem Christi, non eā quam Filius  
Dei in se ab æterno habuit, sed qua tēpō  
re incarnationis Filio hominis cōmu-  
cavit, siue in assūptā humanitatē effudit

Iam



Iam audiamus Iacobum Andream aperte personam diuidentem & proprietates essentialies confundentem.

Humanitas à diuinitate perficitur, quæ realiter suas proprietates humanitati comunicat, ut sit non modò viua, sed etiam viuificatrix: non tātum potens sed etiam omnipotens: humana, inquam, natura, non sola diuina.

Non est imaginanda aut fingenda alia Dei in Christo quām in creaturis reliquis omnibus, quoad oīav, diuinitatis præsentia: quæ vt in creaturis crepēia discerneruntur, quod alia in aliis agat & operetur: ita in Christum tota effunditur, ut iam extra ipsum nihil, sed in homine (hoc concedit Ecclesia) & per hominem Christum (hoc negat Ecclesia de abstracto humanitatis) omnia in omnibus operetur.

Atque hæc est communicatio plenitudinis omnis deitatis, de qua loquitur Apostolus Coloss. i.

Quod diuinæ per essentiam est, id humanae suo modo per accidens communicatur.

Humanitatem Christi diuinitati eius non sōia, sed Ἐστία, non essentia, sed potentia, non natura, sed gloria, nō substantia.

E.ij.

In disputatio ne de Maiestate hominis Christi.

tia, sed maiestate exæquamus.

*Theſeſ 34.* Quum diuinitas in vnitatem personæ  
assumperit hominem, cuius vniōnis ra-  
tio ac definitio est plenitudinis Dei com-  
municatio, sequitur ipsam quoq. huma-  
nitatē Christi vbiique præsentem esse.

*Apologia ad  
theses Ingol-  
stadianas.  
pag. 17.  
Pag. 19.*

A dōc per humanitatem Christi omnia  
administrat.

Apostolus per formam Dei secundum  
quam Christus dicitur æqualis Deo, in-  
tellexit dona in ipsam carnem assumptā  
realiter effusa.

*Pag. 24.* Res omnes à Deo subsistentialiter su-  
ſtantur.

*Pag. 25.* Homo Christus dicitur Deus, nō quia  
Deus sit in ipso (qui in omnibus creaturis  
est, non in modè natura, sed etiam secundū  
subsistentias) sed quia in assumptione car-  
nis dedit huic homini omnem potesta-  
tem in cælo & in terra, communicauit ei  
omnia dona, &c.

*Ibidem.* Diuinitas hominis Christi non est illa  
sorōdus, & æterna cum Patre & sancto  
Spiritu essentia communis, sed commu-  
nicata à secunda hypostasi. Et vt uno ver-  
bo dicam, quum hominem esse Deum di-  
cimus, nihil aliud intelligimus quā quod  
homo ad dextram Dei sedeat. Nam car-  
nem

nem assūmere in Deum, nihil aliud est  
quām omnem suam plenitūdinem ei cō-  
municare.

Potētiam Dei ideo infinitam dicimus, <sup>Pag. 33.</sup>  
quia à nobis finiri non potest. Deus autē  
probè finem & mōdum nouit suæ & po-  
tentia & sapientia, quām omnem parti-  
cipasse humanitatem Christi manifestis-  
simè scriptura testatur.

Inter inhabitacionem Dei in sanctis & <sup>Pag. 37.</sup>  
in Christo hoc vñū est discrimen, quod  
sanctis distribuat sua dona dimensa, Chri-  
sto autem immensa.

Christus homo hoc habet commune <sup>Pag. 38.</sup>  
cum omnibus sanctis, quid cum eo Deus  
personaliter fuit vnitus.

Nestoriani sunt qui vniōnem perso- <sup>Pag. 48.</sup>  
nalem definiunt solo naturarum conuen-  
tu, qui sit in subsistentia Verbi.

Augustinus hoc dīcto, Non esse conse-  
quens ut quod in Deo est ita sit vbiq. vt  
Deus, non negat humanitatem Christi ef-  
se vbique, sed negat eo mōdo esse vbique,  
quo diuinitatem.

Certum est ex Christi verborum sen- <sup>Pag. 60.</sup>  
tentia, eius humanitatem fuisse in cælo,  
& sublimiorem quām in cælo, quum ef-  
set in terra.

E. iij.



Pag. 63.

Quum corpus Christi gloriosum non amplius sit physicum, sed spirituale, quis id dicet moueri de loco in locum?

Audiamus iam Selneccerum illis succinentem.

Pag. tertia ip  
fius in me cri  
minationis,  
134.

*Adoratur vnica λατρεία Christus non tantum ut Deus verum etiā ut homo. Ergo divina potentia & maiestate praedita est caro Christi.*

Ego vnica adoratione adorandā Christi personā fateor cōtra Nestoriū, sed nego hūmanitatē adorari in sese cōtra Eutychē. Sed age decidat hanc cōtrouersiā Cyrilli autoritas lib. in Ioa. 2.ca.92. vbi hæc verba exponit, Nos adoramus quod scimus.

*Adorantibus se connumerauerat qui cū Patre & S. Spiritu tam ab Angelis quā à nobis adoratur. Quū enim seruiformā assumpserit, seruo cōueniens ministeriū suscepit. Et mox, Conuenit maxime hominib. tamquā debitā Deo adorationem offerre. Adorat igitur Christus ut homo: adoratur autem semper cum Patre & Spiritu, quoniam Deus verus est secundū diuinā naturam. Idē lib. Thesauri, 2, cap. 1. Christus modo ut homo, modo ut Deus merito loquitur. Vos, inquit, adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, ut homo loquitur*

Non



Non enim ex adoratibus est ολόγος, sed cum Patre & Spiritu S. adoratur. Adorent ipsum, inquit ille, omnes Angeli Dei. Nemo autem ignorat N V L L I P R O R S V S N A T V R A E p r e - terquam Dei adorationē à scriptura tribui. Scriptum enim est, Dominum Deum tuum adorabis & ei soli seruies. Itaque Filius, quannis vere adorabilis sit (Deus enim est natura) tamen ut homo adorat. Hactenus Cyrillus.

Christus est secunda persona in diuinitate, <sup>Pag. 51.</sup>  
etiam in natura sua humana.

Potest homo Christus secundum naturam <sup>Pag. 137.</sup>  
humanam in se esse ubique.

Competit humanitati omnipotentem esse.

Christus, inquit, Ego sum vobiscum usque <sup>Pag. 25.</sup>  
ad consummationem seculi. Ergo etiam secundum <sup>Pag. 124.</sup>  
humanam naturam, est nobis praesens σωματικὴ παρουσία, & in se ipsa, nectantum  
qua ratione Deus est.

Christus sedet quā homo ad dexteram Pa - pag. 46. & 10.  
tris. Ergo nullis physicis legibus est alligata  
humana Christi natura, sed est immensa potē  
tia & particeps in se & immediatè, eodem planè  
modo quo maiestate Dei dicimus esse in celo.

Si decipimur ita credētes de Cœna Domini, pag. 167  
nihil inde incommodi nobis accidet, sed lau-  
dem potius & simplicitatis gloria in illo die  
reportabimus.



Hæc ille, at nos præter cætera millies  
prolata audiamus hoc quoque Cyrilli de  
portentosa illa reali proprietatū essentia-  
lium inter naturas communicatione: Cy-  
rilli inquam illius qui Nestorium & Eutychen  
vt Athanasius Arrium prostrauit,  
perspicuum & planum ac verè aureum  
testimonium ex lib. 2. in Ioan. cap. 141.

*Nihil firmū & stabile, nihil perpetuū Deo  
attribuetur, si creatura quoq. Substantialiter  
& per naturā ea recipere poterit quæ in Deo  
Substantialiter sunt. Et quis non perhorrescat  
tantam veritatis dogmatum perturbationem  
audies! Omnia enim sursum ac deorsum euer-  
tuntur, Deitatis natura ad creaturā deduci-  
tur (hoc quidem isti vitare voluerunt, sed  
incommode quum exinanitio quoq. for-  
mæ Dei legatur, vt formæ servi exaltatio)  
& creaturarū substantialia per infamiam ad su-  
premæ naturæ locum scandere creditur. De-  
niq. quum isti nobis pro irrefragabili ra-  
tione obiicere soleant D. Lutheri nomē,  
audiamus quid ille ipse extra illum dis-  
putationis feruorem de ipsis dogmatibus  
senserit.*

*Intempestiuā quidam enarrationem  
afferunt, dicentes, Filius nescit, id est nō  
vult*



vult scire. Christus verus homo fuit, quare ut alius purus & sanctus homo, non quo liber tempore cogitauit, dixit, voluit, intellexit omnia: sicut imperiti quidam omnipotentem in eo hominem faciunt, permiscentes duas naturas atque opera eorum parum prudenter.

*Item*, Etsi hominem occupet diabolus, tamen homo manet homo, diabolus vero diabolus: sed Deus factus est homo, & tamen Deus manet. Atque hoc modo profundius se in carnem nostram immisit, quamdiu diabolus facere possit, qui hominis corpus subire potest, atque eum affligere: sed non potest homo fieri, ut diabolus & homo sit una persona. Inter naturas istas semper personale discrimen manet, non solum secundum essentiam, verum etiam secundum personam. Verum in Christo haec unum sunt. Nam Filius Dei est factus nostra caro & sanguis.


*Item*, Scriptura pulchre personam cum natura iungit, ac rursum naturas nequaquam confundit, ut pauci sint ( quod humanis commentis debemus quibus aetatem nostram attruiimus, & ingenium corrupimus ) qui id recte percipiatur, ut ipse profecto perse-

pe in his & similibus locis errauerim , &  
naturę tribuerim quod cōpetit personę,  
& cōtrā, vt in illo loco Pauli Philip. 2. ho-  
die possit alicui vſuuenire, vbi dicit, Ta-  
metſi in forma Dei eſſet, &c. Quod in  
forma Dei fuisse prædicatur, certe diui-  
nitatem indicat; Item quod se exinan-  
iisse dicitur: porrò inanitio & ser-  
ui forma quid aliud quām  
humanitatem te-  
stantur?

AT TV DOMINE VSQVE QVO?







ALVENSLEBEN  
Ba  
146







3

TH. BEZAE  
AD REPETITAS  
IACOBI ANDREÆ  
& Nicolai Selnecceri  
calumnias re-  
sponsio.

A D O M

*sanctum I  
confessione*

3. Cor. 3.13. C

APVD EV  
cl

x-rite

colorchecker CLASSIC

